Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26088
Copyright: Admont, Benediktinerstift

& dolus in manu eius dirigetur. Non enim hominem illum diri
gendo scriptura dicit quem peruersum ac pessimum futurum esse preuidit.
sed dolus inquit in manu eius dirigetur. quia fraudes & scelera que dispo scilicet
suit ad effectum quem proposuit nullo retardante perduxit. qui tamen
peractis ipse in eternum ut meruit perit. Indignatio regis nuntii
mortis. Nuntii mortis sunt angeli satane idest heretici & uani
phylosophi. immo omnes qui ea uerba nuntiant proximis unde
ad mortem rapiantur eternam. Qui quo amplius auctori mortis seruiunt.
eo grauius uite largitorem offendit. Nec tamen talibus iter penitentie
precludit. Nam subdidit. Et uir sapiens placabit eum. Potest enim
resipiscendo deum placare. quem contigit la eum stulte loquendo
do offendisse. In hilaritate regis uita. Quicumque hilarem Christi uultum
tum uidere merentur his in eternum cum illo uiuere dabitur. ali
oquin in die iudicii sicut scriptum est uidebit omnis caro salutare
dei. sed hic reprobi tantum iratum. iusti uident placidum. ihm x. dnm n.

DOM. XIII. Sermo. B. AUG. EPI. DE BEATO IOB & DE VERSU PSALMI Psallite domino in cythara & uoce psalmi.

BEATUS IOB FRATRES DILECTISSIMI DE QUO
nobis lectio recitata est tam sanctus fuit. ut in illo
conpleretur illud quod in psalmo spiritus sanctus dixit
psallite domino in cythara & uoce psalmi.
Non uocem sola sed opera assumite. ut non tantum
cantemus sed & manibus operemur. Qui cantat &
operatur psallit in psalterio & cythara. Qui psallit
in psalterio diuina de celo uerba canit. qui autem operatur ma
nibus humana perficit. Extende manus & da pauperi. nudum uesti
hospicio recipe peregrinum. Sed cum facis pie & hilariter fac.
recole illi te facere qui dicturus est. Esuriui. & dedistis mihi